



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 62. An sit obligatio in quibusdam materiis, sequendi partem tutiorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

476 Q. 62. *An sit obligatio in quibusdam materiis sequendi partem tutiorem. R.* Affirmative, nam,

§. I. Est obligatio sequendi tutiora in illis omnibus materiis, in quibus, etiam si ad sit ignorantia invincibilis, nec pars probabilis, nec etiam probabilius juvat ad hoc, ut obtineatur finis intentus, ad quem procurandum est obligatio: sic in illis, quae sunt de necessitate medii ad salutem, uti est v. g. baptismus in aqua naturali, per haec verba, *ego te baptizo &c.*, est obligatio sequendi partem tutiorem, quia si circa illa erretur, etiam invincibiliter, & sequendo opinionem probabilem, haec nihil juvant, nec facere possunt, ut vel talis baptismus non sit necessarium medium salutis, vel ut re ipsa sit positus, si quid substantiale omittatur. Idem est in administratione & susceptione Sacramentorum, si enim sint opiniones oppositae circa aliquid concernens va lorem, sequenda est tutior, quia minus tuta, licet forte sit probabilior, & quis bona fide secundum illum operetur, facere non potest, ut vel tale aliquid non sit de valore Sacramenti, vel Sacramentum sit validum, si illud omittatur, uti pluribus dicetur de Sacramentis. Similiter Medici, Advocati aliique similes, qui per contractum vel quasi contractum se obligarunt ad procurandam alicui sanitatem vel victoriam causae, hoc ipso se obligarunt ad adhibenda media, quae judicaverint tali fini accommodatoria, qualia sunt, quae judicant esse tutiora, licet forte occurrerent etiam alia probabiliora vel plausibiliora; mens enim illorum, qui ipsorum operam conducunt, est, ut talem finem, quantum poterunt, tutissime assequantur, ad quod nil faciet opinio probabilius aut plausibilior, nisi simul sit tutior: & idem est in aliis similibus materiis.

477 §. II. Etiam esset obligatio sequendi tutiora, si quis

quis ad hoc se obligasset voto, vel ad id adstrictus esset per legem aut per mandatum Superioris, uti per se patet.

*Q. 63. Quibus argumentis probetur licitum esse 478*  
*in aliis materiis sequi opinionem probabilem reli-*  
*ta tutiore R. In primis, eisdem ferè, quibus à n. 268.*  
*probavimus licitum esse sequi probabilem relicta*  
*probabiliori; deinde etiam aliis, quibus simul sum-*  
*ptis puto sententiam nostram esse demonstratam,*  
*sunt autem sequentia,*

*§ I. Rectè sic argumentatur Moya de op. prob. 479*  
*q. 5. §. I., Ecclesia & Pontifices dispensant in votis*  
*solemnibus contra opinionem tutiorem S. Thomæ,*  
*qui negat id licere: Item dispensant in Matrimonio*  
*rato, non obstante tutiore S. Bonav. Scoti & alio-*  
*rum etiam negantium id licere: Item Cap., lau-*  
*dabilem, de frigid. & malef. dicit Ecclesia, impo-*  
*tentes posse ad triennium experiri usum copulæ, ubi*  
*tamen in dubio de valore contracti Matrimonii tu-*  
*tius esset abstinere: Item subditus in dubio belli in-*  
*justi, licet militat secundum S. Aug.; & quivis*  
*subditus in dubio, an imperetur aliquid illicitum,*  
*licet obedit, uti dictum est à n. 432. & tamen tutius*  
*esset ista deprecari à Superiore: Item adversarii ac-*  
*ceptant Præbendas, ducti opinione incertâ, an sint di-*  
*gniores, quam cæteri, cum tamen tutius esset abstine-*  
*re: Denique omnes SS. PP. & speciatim S. Tk. docuit*  
*aliqua minùs tuta tanquam licita, uti evidenter o-*  
*stendunt Moya §. 3. & Carden. in I. crisi d. 66. à n.*  
*378. v. g. non esse obligationem statim confitendi*  
*mortale, per haustum non frangi jejunium &c. ergo.*

*§. II. Id licere, docent Auctores communissi- 480*  
*mè, non tantum illi, qui dicunt licere sequi minùs*  
*probabilem, quorum plurimos recensuimus n. 269.,*  
*sed etiam illi, qui volunt sequendam probabilio-*

rem,